Sed ex eodem dicto aliud innuitur. Superius autem hunc superbum divitem dominus non loquacitate vacantem dixerat. Sed superflue conuiuantem; Neque hunc de loquacitate narravit. Sed cum elatione et tenacia de edacitate peccasse. Sed quia habundare in conuiuiis loquacitas solet. Is qui hic male conuiuatus dicitur. apud infernum gravius in lingua ardere perhibetur. Prima namque male conuiuantibus famulatur culpa loquacitas. post loquacitatem vero, ludendi etiam levitas sequitur. Nam quia edacitatem lusus sequatur; testatur sacra scriptura quae ait. Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Sed prius quam ad lusum moveatur corpus ad iocor ac verba inania movetur lingua. Quid ergo est quod innuitur. quia in tormentis positus dives linguam suam refrigerari postulat. Nisi quod is qui conuiuando magis de loquacitate peccaverat, pro retributionis iustitia in lingua atrocius ardebat. Sed cum grave valde est pavore pensandum. hoc quod ei per abrahae responsionem dicitur. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua similiter et lazarus mala. Nunc hic consolatur tu vero cruciaris. Ista fratres karissimi sententia pavore potius indiget quam expositione. Nam si qui vestrum sunt qui in hoc mundo exteriores bona aliquid accepistis. ipsum vestra dicam donum exterius pertimescere debetis. Ne vobis pro quorundam vestrorum actuum reconpensatione sit datum. Ne iudex qui hic bona exteriora restituit. a retributione boni intimi repellat. Ne honor hic vel divitiae non adiumentum virtutis. sed remuneratio sit laboris. Ecce enim dum dicitur. recepisti bona in vita tua. Indicatur et dives iste boni aliquid habuisse. ex quo in hac vita bona reciperet. Rursumque dum de lazaro dicitur. quia recepit mala profecto monstratur

XII

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG · Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Bodleian Libraries

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0192